

Caspar Matthäus Müller


**Programma Qvo Rector Universitatis Rostochiensis Caspar Matth. Müller, J. U. D.
Et Moral. P. P. Ad Passionem Ac Mortem Domini Ac Salvatoris Nostri Jesu Christi
Pie Meditandam Omnes Omnium ordinum Cives Academicos ea qva fas est,
Humanitate invitat & hortatur**

Rostochi[i]: Typis Joh. Weplingii, [1700?]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1838724370>

Druck Freier  Zugang





Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

https://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1838724370/phys_0001

Mecklenburg
Vorpommern





● entsäuert

*M. l. h.
2956*







61

PROGRAMMA

270

RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

CASPAR MATTH.

MÜLLER,

J. U. D. ET MORAL. P. P.

AD

PASSIONEM AC MORTEM

DOMINI AC SALVATORIS NOSTRI

JESU CHRISTI

PIE MEDITANDAM

*Omnes Omnium ordinum Cives Academi-
cos ea quâ fas est, Humanitate invitât
& hortatur,*



Rostochl,

Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.



1700 F



Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

https://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1838724370/phys_0005

Mecklenburg
Vorpommern



UT paucis abhinc hebdomadibus de Domini ac
Salvatoris nostri Jesu Christi incarnatione ac
Nativitate tota Christianorum Ecclesia im-
pensè lætabatur, & summum hoc pietatis
mysterium admirando sibi gratulabatur, sic
nunc de ejusdem passione acerbissimâ & morte igno-
miniosissimâ admirandum in modum contristatur ac
mœrore angitur non vulgari, cujus mœroris non ob-
scura maxime in cœtibus nostris Deo sacratis, indicia
conspicere licet. Brevitatis studio adducti nunc mitti-
mus ea, quibus in Papatu hoc tempore ad testificandum
hunc mœrorem suum, memoriam passionis ac mortis
Christi recolere solent, dum nempe vigiliis, jejuniis,
flagellationibus, aliisque cultus suos electitios sectantur; a-
pud nostrates etiam videmus, quod Historia Passionis ac
mortis dominicæ ad mœrorem hunc in hominum men-
tibus eò magis excitandum, & ad voluptatem illam car-
nalem, vel potius impietatem, quam nunc cum bacchan-
tium choro plurimi sectari solent, reprimendam, publicè
in Ecclesiâ proponatur, imo totus cultus ad tristitiam
quodammodo componatur, dum scilicet musica, quæ
facit ad animos hominum exhilarandos, hoc tempore
à cœtibus sacris exulare jubetur, dum gaudia no-
stra in fletus, júbila in lēssus mutantur &c. Sed
quid ita? Siccinetantum illud gaudium, quod cœlitus
nobis annunciabatur, de quo certissimi tum fieba-
mus, tam citò est interruptum, aut planè intermortu-
um? An fortè credimus, inopinato quodam casu, aut
fortuito passionem & mortem dulcissimo salvatori no-
stro contigisse, uti ea communiter dolemus, quæ nobis
præter spem aut expectationem in detrimentum nostri
obtingere solent, aut, quando ea nobis eripiuntur quæ
nobis spem aut solatium aliquod promittere poterant.
Non ita: sicuti enim ex Symbolo fidei Christianæ
ab

ab incunabilis omnes edocti sumus, quod passio Domini
ac Salvatoris nostri sub Pontio Pilato immediate sequatur
Ejus Nativitatem, & cum illâ continuo quasi nexu
cohæreat, dum confitemur, quod *Jesus Christus natus sit
ex Mariâ virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus
& sepultus* &c. sic quoque neminem nostrum fore puto, qui
Passionem, mortem & sepulturam Dominicam certo
certius, imo necessariò ipsi eventuram fuisse non credat.
Maximè cum sciamus, quod ipse Filius Dei hoc potissimum
fine in mundum venerit, & homo factus sit, ut in
assumptâ Humanitate opus redemptionis perficeret,
nosque passione & morte suâ cœlesti suo Patri reconciliaret.
Ita enim ipse Salvator noster discipulos illos
Emauticos, qui passionem & mortem Dominicam ut
fortuitum quid ac inopinatum aspiciebant, longèquã alias
de ipsius regno foverant cogitationes, ac proinde conceptâ
nunc spe suâ planè destituti, summâ afficiebantur tristitiâ,
erigit, & de Passione & morte suâ edocet. Luc. 24.
26. *Nonne hæc, inquit, oportuit pati Christum & intrare
in gloriam suam?* Similiter ait ad illos congregatos, cum
se iis de improvîso manifestaret, ipsisque Scripturas de
se testantes explanaret, cit. cap. v. 46. *Sic scriptum est,
& sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertîâ
die.* Si itaque Christum oportuit pati, imo, ea pati, quæ passus
est, sanè passio ei non fuit fortuita, sed omnino necessaria
ac inevitabilis; quod tamen non de absolutâ quâdam,
sed hypotheticâ necessitate intelligi debet. Paulò,
accuratiùs autem hæc nobiscum perpendentibus, tres
potissimum se nobis offerunt hypotheses, quæ Passionem
hanc Dominicam omnino reddiderunt inevitabilem ac necessariam;
prima est æternum Dei Decretum, quo Christus à cœlesti suo patre
ad opus redemptionis peragendum prævisus, præordinatus &
prædestinatus est. Decretum erat in concilio SS. & individue Trini-

tatis, hominem lapsum, in miserrimo suo peccati statu non derelinquendum, sed redimendum esse, & quidem cum illa redemptio nisi læsæ justitiæ Divinæ præstitâ satisfatione fieri non posset, hanc verò præstare toti humano generi, imo universæ creaturæ esset impossibile, ipsum Filium DEI hominum partes susceptorum, humanam Naturam assumpturum, & sic patiendū ac moriendū, per lapsum amissam gratiam DEI hominibus reconciliaturum. Sanctissimum hoc Summi ac in nos Clementissimi DEI Decretum de salute nostrâ erat immotum & immutabile, stabat hæc sententia, *Deus enim erat, qui decreverat, quæ non mutatur neque in essentiâ, neque in voluntate.* Mal. 3.6. *Hicne quid diceret, nec faceret? Hicne quid loqueretur, nec præstaret?* Num. 23. 19. ergo & omnino erat exequendum, ac proin aliter fieri non potuit, Christus Dominus ac Salvator noster, positâ hac hypothesi divini Decreti, necessariò pati ac mori debuit. Hujus divini decreti Scriptura S. quando de Passione ac morte Christi agit, non uno loco mentionem facit. Ita Act. 2. 23. expressis verbis dicitur: *Christum definito consilio & præscientiâ Dei traditum, & per manus iniquorum crucifixum ac interemptum esse.* Ubi quidem Spiritus S. duo nobis distinctè consideranda sistit, ipsam scilicet Passionem Dominicam, quod traditus, crucifixus, ac trucidatus sit, & detestandam Judæorum actionem, quod innocentissimum hunc mundi Salvatorem gravissimè excruciatum præter fas & æquum sceleratè trucidarint. De passione & morte dicit, quod definito consilio & præscientiâ DEI facta sit; De Judæorum verò circa eam occupatione, quod fuerint manus iniquorum (*χειρες ἀνόμων*) quæ ipsum hoc cruciatu & ignominiosissimâ morte affecerint. Illa ergo DEO fuit gratissima & *odor bonæ fragrantia* Eph. 5. 2. hæc verò non item, juxta tritum illud: *Actio displicuit, passio grata fuit.* Absit enim

enim ut hic cum Zwinglianis sanctissimum Deum nostrum causam peccati credamus, statuentibus, manus hasce impiorum à DEO adversus Christum esse, excitationes, illosq; homines ab æterno ad iniquissimam hanc actionem esse prædestinatos ac impulsos occultâ ac inevitabili vi quâdam, ut eum dirissimo hoc afficerent supplicio, (adeoq; cum vi decreti illius ac prædestinationis æternæ, tum interni impulsus aut coactionis, eos aliter facere non potuisse. Absit inquam à Sanctissimo DEO nostro, ut, *cui impietas minime placet*, Psalm: *s. s.* talis prædestinatio, talis impulsus, quæ sint ad malum, quod ipse extremo prosequitur odio, ac gravissimè puniat. Non necessitate quâdam inevitabili aut vi occultâ hi homines ad nequissimum hoc factum sunt impulsi, sed liberâ arbitrii sui voluntate & spontaneâ mentis suæ pravitate commoti, ut instrumenta diaboli, qui eos ad id ipsum excitârat, nefandum hoc scelus perpetrârunt. Illud autem Deus ab æterno quidem prævidit, ac fore præscivit, & ut prævidit, permittere decrevit, ut ad bonum & salutarem finem, secundum imperscrutabiles Sapientiæ suæ divitias, id dirigeret, eoq; generis humani redemptio ac æterna salus promoveretur. Non verò illud, prædestinavit, nec dum fieret, probavit, multò minus promovit, sed prohibuit, & tandem postquam perpetratum fuit, gravissimè puniit, sicuti excidium urbis Hierosolymæ, & rejectio populi judaici id ipsum factis luculentò testantur. Scitè non minus quam verè hæc de re scribit Leo: *multum diversum, multumq; contrarium est id, quod in malignitate judæorum est præcognitum & quod de passione Christi est depositum: non inde processit voluntas interficiendi, unde voluntas moriendi, nec de uno extitit Spiritu atrocitas sceleris & tolerantia redemptoris; Non enim impias furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit; nec præsciendo quod futurum erat, coëgit*

ut facerent, cum tamen ad hoc ipsum carnem suscepisset, ut fieret. Sic & Act. 4. 27. 28. Apostoli Deo supplices hunc in modum de Passione & morte Domini ac Salvatoris nostri loquuntur: *Convenerunt adversus sanctum Filium tuum Jesum, quem unxeras, Herodes simul & Pontius Pilatus, cum gentibus, & populis Israël, ad faciendum quaecunque manus tua & consilium tuum prius decreverant, ut fierent.* ubi Spiritus S. iterum testatur, quod ea, quæ Christo Salvatori nostro in passione suâ acciderunt, ei acciderint ex decreto & voluntate Dei, quodque manus & consilium Domini ea omnia decreverint, ut fierent. Nihil ergo hîc Pilatus, nihil Herodes, nihil judæi, licet infensissimi hostes Christi, qui nihil magis quam sanguinem ejus sitiebant, nihil milites improbi facere potuerunt ultra id, quod manus & consilium Dei decreverant, ut fieret. Et quî præter decretum aut voluntatem Dei Christo quicquam accidere potuisset? Annon omnes filiorum Dei afflictiones in hoc mundo à Deo sunt determinatæ? adeo ut citra ejus voluntatem ne capillus quidem de capite nostro decidere possit Psalm. 56. 9. Psalm. 75. 9. Matth. 10. 26. 30. Quid ni & Christi Passio, quâ salus totius mundi erat procuranda. Si cuivis mortalium suus à Deo est præfixus ac constitutus vitæ terminus, quem ne latum quidem unguem transilire possit Job. 14. 5. quî Christus mortuus fuisset, Deo ita non definiente? Hinc & Scriptura dicit, quod *Dominus Christam voluerit ita conterere in infirmitate Es. 53. 11. item, quod Christus se ipsum dederit pro peccatis nostris, ut eriperet nos ex presenti seculo malo, juxta voluntatem Dei & Patris nostri Gal. 1. 4.* Et Petrus ait, 1. Epist. 1. 20. *Quod Christus (à Deo ad opus redemptionis peragendum) præordinatus sit. Ita enim, si scilicet potuisset animam suam pro peccato, Voluntas seu propositum Dei per manum ejus dirigeretur. Es. 53. 11. Unde & ipse Salvator hanc passionem suam, ut ut dirissimam, vocat ca-*
licens


licem sibi à patre datum. Joh. 18. 11. Et alibi, Luc. 22. 22. di-
cit, quod *Filius hominis, secundum quod definitum est* (*κατὰ
τὸν νόμον*) *vadat*, &c. Non ergo fortuito aut casu passus
ac mortuus est Christus, sed Deo ita volente, definiente
ac decernente, sicque, necessario, & inevitabiliter. Qua-
re & se totum huic decreto ac voluntati patris sui permi-
sit ac tradidit, *non mea*, inqviens, *sed tua fiat voluntas*,
Matth: 26. 42. Quam voluntatem, quod decretum Dei
Angelus quoque de cælo Christum angore corre-
ptum corroborans, ei in memoriam præter dubi-
um revocavit Luc. 22, 43. quod scilicet hoc posito,
aliter fieri nullo modo posset, eumque hinc oportere pati
ac mori, ut hæc voluntas DEI de redemptione generis
humani perficeretur, Deinde quoque hæc necessitas Pas-
sionis & mortis Domini ac Salvatoris nostri conspici-
tur ex proprio ipsius consensu & decreti divini appro-
batione, sicuti enim ille ab æterno à Patre suo ad hoc
opus redemptionis, prævisus, præordinatus ac præde-
stinatus est, ut ex dictis patet; sic quoque ipse in SS. Tri-
nitatis concilio ad illud ipsum peragendum spontè se
patri suo cœlesti obtulit, ac promisit, se hominum loco
læcæ justitiæ divinæ satisfacturum, & obedientiâ suâ
tam activâ, quam passivâ præstiturum, quod homines
in æternum præstare debuissent. In hunc æterni Filii
Dei dulcissimi Salvatoris nostri consensum digitum quasi
intendit Spiritus Sanctus, per os Davidis in Personâ
Messiæ ita loquens: Ps. 40. 7. 6. 9. *Sacrificium & oblationem
noluisti, aures autem fodisti mihi. Holocaustum & sacrificium pro
peccato non postulasti. Tunc dixi, ecce veni, in volumine libri
scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus mi, volui, &
lex tua est in medio cordis mei. Quod dictum Epistola ad
Hebræos ita explicat, Cap. 10. 8. 9. 10. Cum superius di-
xisset, sacrificium & oblationem & holocaustum & hostiam pro
peccato*

peccato noluisse, neque comprobasti. (quæ juxta legem offeruntur) tunc dixit: ecce, adsum, ut faciam, Deus, voluntatem tuam; collit prius ut posterius statuat. Per quam voluntatem sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel factam. Ubi Spiritus S. satis clarè innuit, quod, cum holocaustis peccata hominū expiari non potuerint, Filius Dei se ipsum, sponsorem præstiterit, se ea quæ cœlestis pater de redemptione generis humani voluisset ac decrevisset, suscepturum ac peracturum. His promissis omnino erat standum, & susceptæ redemptoris partes tuendæ, juxta tritum illud: *Sponde, noxa præsto est.* Hinc quoque Christus liberâ voluntate magnoque studio passioni ac morti suæ occurrisse, nec eam formidasse legitur, Es. 53. 11, Ps. 40. 9. Matth. 16. 23. Luc. 18. 31. Joh. 10. 17, 18. Eph. 5. 2. & alibi passim. Eadem quoque necessitas passionis ac mortis Christi ex typis ac vaticiniis scripturæ deduci posset, quæ necessariò erant implenda, nisi nunc tempore excluderemur. Sic ergo Christus dominus & Salvator noster non fortuito, sed necessariò passus ac mortuus est, non quidem necessitate sui, sed nostri, ut nos scilicet: passione & morte suâ redimeret. Quid nostrum erit C. O. O. H. id scilicet. ut hunc tantum amorem Salvatoris nostri grato animo agnoscamus, eumque vicissim amemus, & amore ipsius *carnem nostram crucifigamus cum affectibus & concupiscentiis.* Gal. 5. 24.

P. P. Rostochi sub Sigillo Rectoratus
Anno 1700. d. II. Febr.

os(0)so





Barcode
nicht
vergeben!


21.7.20
↓


5

33

LBMV Schwerin
004 132 769







datum. Joh. 18. 11. Et alibi, Luc. 22. 22. di-
ominis, secundum quod definitum est (Matth.
at, &c. Non ergo fortuito aut casu passus
Christus, sed Deo ita volente, definiente
ocque, necessario, & inevitabiliter. Qua-
lic decreto ac voluntati patris sui permi-
on mea, inqviens, sed tua fiat voluntas,
yam voluntatem, quod decretum Dei
e de cœlo Christum angore corre-
ans, ei in memoriam præter dubi-
Luc, 22, 43. quod scilicet hoc posito,
modo posset, eumq; hinc oportere pati
voluntas DEI de redemptione generis
retur. Deinde quoq; hæc necessitas Pas-
Domini ac Salvatoris nostri conspici-
pfius consensu & decreti divini appro-
enim ille ab æterno à Patre suo ad hoc
is, prævisus, præ ordinatus ac præde-
dictis patet; sic quoq; ipse in SS. Tri-
ad illud ipsum peragendum sponte se
obtulit, ac promisit, se hominum loco
inæ satisfactorum, & obedientiâ suâ
n passivâ præstiturum, quod homines
stare debuissent. In hunc æterni Filii
alvatoris nostri consensum digitū quasi
s Sanctus, per os Davidis in Personâ
ns: Ps. 40. 7. 6. 9. *Sacrificium & oblationem
m sediti mibi. Holocaustum & sacrificium pro-
sti. Tunc dixi, ecce veni, in volumine libri
ut facerem voluntatem tuam, Deus mi, volui, &
cordis mei. Quod dictum Epistola ad
plicat, Cap. 10. 8. 9. 10. Cum superius di-
oblationem & holocaustomata & hostiam pro
peccato*